

Tabelliones, et hujusmodi, spectando leges positivas humanas vendi, et emi non possunt; Ita clare patet ex Novella 8, cap. 7, leg. *Nemo*, Cod. *Quæ res vendi non possunt*, leg. 14. Cod. de re militari, et ratio est, quia hujusmodi venditio, et emptio solet esse Reipublicæ perniciosissima, cum sic ad officia applicentur non qui idonei, et digni, sed ditiores plus offerentes, quamvis aliunde inepti, et incapaces existant, quia una semel, quod officium per pecuniam sunt adepti, omnibus modis per fas, et nefas student pretium expensum recuperare, quotidie justitiam sui officii violantes: sic docent Joannes Medina, Adrianus, et alii apud Card. de Lugo, tom. 2, disput. 34, sect. 3, num. 24, verb. *Secunda sententia*. (39. Supradictis tamen legibus positivis non obstantibus, ubi legitima introducta est consuetudo, valide ac licite talia officia publica temporalia vendi possunt, dummodo ut licite vendantur, serventur quædam conditiones mox assignandæ: Ita D. Thomas in Epistola ad Ducissam Brabantie opuscul. 21, a qua de hoc dubio interrogatus fuerat, Covar. in Manuali cap. 25, num. 7. La Croix lib. 3, par. 2, num. 991. Azorius par. 3, lib. 8, cap. 7. Castropalao de justitia commut. disp. 5, punct. 18, num. 13. Thomas Sanchez l. 2, consil. cap. 1, dub. 37. Vasquez. opusc. de benefic. cap. 2, § 3, dubit. 14. Turrianus disput. 23, dub. 2. Diana tom. 2, tract. 5. Miscell. resolut. 108. Cajetanus, Silvester, Armilla, Rosella, Navarra, Paludan, Salonus, Aragonius, Sotus, Tanager, Silvius, Rebellus, Filiucci, et fere communis aliorum, et ratio est, quia contra leges positivas humanas valida, et licita est consuetudo legitime introducta: cap. *Cum tanto* 11, de consuetudine.

(40. Conditiones autem, quas, ut talis venditio licite fiat, assignant prædicti Doctores, sunt sequentes. Prima ut sit auctoritas in vendente. Secunda ut vendantur dignis. Tertia ut non vendantur pretio adeo excessivo, ut necesse sit emptorem officio abuti, ut pretium solutum sibi compenset. Quarta ut id fiat ob Reipublicæ necessitatem, cui aliter consuli bene non possit. Quintam addit Vasquez, ut hi Officiales suis temporibus examinentur, et visitentur, ut constet, an recte sua officia exercent. Denique addunt aliqui, Officium Judicis nunquam posse licite vendi, ut cum Soto, et aliis fatetur idem Vasquez, et idem cum aliis, quos affert, sentire videtur Sanchez loc. cit. n. 6. (41. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui sustinent, non solum Principes supremos posse valide, et licite servatis supradictis conditionibus talia officia temporalia vendere, sed etiam valide et licite posse id facere alios inferiores de licentia Principis expressa, vel tacita, quæ tacita, facultas præsumitur in multis casibus, quos enumerat Sanchez dict. cap. 1, dub. 38, n. 10. Unde circa hoc standum est legitimæ ejusque Regni, et Provinciæ introductæ consuetudini;

(1) Aliæ quæ ob publicum bonum nequeunt res vendi, licet in commercio sint, recensentur Zoes.

argum. cit. cap. *Cum tanto* XI. de consuetudine. Dummodo tamen per abusum vendendi talia officia personis minus idoneis, et pretio excessivo, non sit consuetudo inductiva culparum per quotidianas fraudes, et injustitias in nimium Reipublicæ detrimentum; talis enim consuetudo nullibi, et nemini, quantumvis Principi supremo liceret, cum verius dicenda esset corruptela; cit. cap. *Cum tanto*, ibi: « Quæcumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela. »

(42. Emptio et venditio fieri nequit de rebus mere spiritualibus, aut spiritualibus annexis; quia talis venditio esset Simoniacæ ex cap. *Allare* 14, et cap. *Si quis* 15, caus. 1, qu. 3. Item est de rebus sacris, seu Sacramentis qua talibus. Concordat Jus civile Leg. *Sed Celsus* 6, leg. *Hanc legem* 22, leg. *Litera* 51, de contrahen. empt. juncta l. *Sancimus*, C. de Sacrosanctis Ecclesiis, et clarius patet verb. *Simonia*. (43. Item emptio, et venditio fieri nequit de rebus litigiosis; clare patet ex toto titulo de rebus litigiosis, et l. *Pendente* 2, l. *Quicumque* 3, et l. *Censem* 4. Cod. de litigiosis. (44. Homo liber vendi, et emi non potest; l. *Si emptione* § *Omnium rerum*. ff. de contrahend. emptio. § *Instit. de inutil. stipul. nisi tamen major* 25, annis consentiat; § 4. *Instit. de Jur. personar.* (45. Vel nisi sit Filius, qui a Patre in summa paupertate victus causa vendatur; quia in tit. 2. Cod. de Patribus, qui filios distraxerunt conceditur Patri, « quod propter nimiam paupertatem, egestatemque victus causa filium, filiamque vendere possit. » Quod ipsum etiam de jure naturali licitum videtur, prout recte advertunt Covarr., lib. 3, variar. resolut. cap. 14, num. 4. Tiraquell., lib. 1, de Retract. § 26, num. 17, et alii passim. Et ratio est, quia proles post Deum maxime obligatæ existunt Patri, unde naturæ omnino conveniens reputatur, ut proles ad conservandam vitam Patris, libertate privari se sinat. (46. Item nequit a Domino vendi servus, ut cum bestiis pugnet; l. *Circumcidere*, ff. ad l. Cornel. de Sicariis; l. *Domini* ff. de contrahend. emptio. l. *Junia*, ff. de manumissionibus. (47. Arma, equi, lignamina, funes, et alia hujusmodi nequeunt vendi, et deferri ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et id facientes quicumque sint, incurrunt excommunicationem in Bulla *Cænæ Domini*, ut expresse habetur in ipsa § 7 (1).

(48. Ordinarie loquendo nemo invitatus cogi potest ad vendendam rem propriam; vel emendam alienam; leg. *Invit.* 11. Cod. de contrahend. emptio. leg. *Nec emere* 16. Cod. de jure deliberandi, et communis Doctorum. Excipiuntur tamen aliqui casus in quibus potest quis cogi a legitimo Superiore ad vendendam rem propriam justo pretio. (49. Primus casus est ob publicam necessitatem, vel inopiam v. g. frumenti, aliorumque victualium ad quotidianum usum, tunc

in Pandect. lib. 18. tit. 1. num. 25. (Edit. Barbicell.)

enim cogi possunt Cives a Magistratu ad vendendum justo pretio arg. l. 1, § *Cura carnis* ff. de Offic. Præf. Urbis l. *Civitatum*. 2. Cod. *Ut nemini liceat*, l. 14, et 18. Cod. de operibus publicis. (50. Et in tali casu publicæ necessitatis cogi possunt ad talem venditionem etiam Clerici, non quidem a Judice Laico, sed a proprio suo Ecclesiastico; Sac. Congreg. Immunitat. in Neapolitana 10. Novemb. 1694. In Casalensi 12. Feb. 1695. In Neocastren. 1. Decembr. 1696. (51. Secundus casus est ob bonum publicum, aut favorem Religionis, v. g. si fundus personæ privatæ necessarius sit pro constructione, vel ampliacione Civitatis, Arcis, Viæ publicæ, Principis, Palatii, Templi, Monasterii, Collegii, Hospitalis, et hujusmodi l. *Si locus* § *Cum via*. ff. quemadmodum servitus amittatur, l. *Si quis Sepulcrum* 12, de Religiosis, et sumptibus Funerum, et sic communis Doctorum. (52. Tertius casus est, si duo communem servum habeant, quorum alter velit eum manumittere, cogitur etiam alter partem suam vendere, libertatis favore si adsit, qui redimere velit; l. 2. Cod. de communi servo manumittendo. (53. Quartus casus est, quando Dominus nimis severe, ac inhumane tractat servum suum, tunc enim cogi potest eum vendere; § 2. *Instit. de his qui sunt sui, vel alieni Juris*.

(54. Dantur etiam aliqui casus, in quibus potest quis cogi ad emendum, maxime quando id exigit bonum commune Reipublicæ: sic possunt cives cogi ad coemendum frumentum et alia vitæ necessaria ob evitandam communem inopiam. Item possunt sic cogi Cives, dum timetur obsidio Civitatis. Item possunt subditi cogi ad emenda instrumenta sicut et alias res, sine quibus nequeunt satisfacere Officio, Obedientiæ, vel obligationi sibi incumbenti. Ita Doctores communiter.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(55. Contractus emptionis perficitur ex mutuo consensu de tanto pretio pro tali merce, ut ait *Auctor* n. 2. Quid autem si Contrahentes dum hunc præstiterunt consensum reservaverint aliqua pacta postea concordanda? Num perfectus nihilominus dici queat contractus. (56. Affirma, et quidem etiamsi ipsi Contrahentes discordaverint postea circa facta illa, quæ utpote respicientia accidentalialia ipsius contractus, nequeunt obesse ipsius perfectioni resultanti ex præfato consensu. (57. Discordia vero illa Contrahentium arbitrio boni viri dirimenda est, ut respondit Rota in Colonien. venditionis 12 Junii 1750, § 7, cor. clar. mem. Caprar.

(58. In Foro, ut inquit, et Auctor num. 18, non succurritur venditori læso, nisi læsio sit ultra dimidium justii pretii, idque ex allegata ab ipso leg. 2, Cod. de Rescindend. vendit. Cæterum, si dicendum quod res est, rescitur quomodo ex hac leg. 2, Cod. de Rescindend. vendit. regula hæc excerpta sit et in Foro obtinuerit. Continetur enim in ea non Constitutio aliqua generalis, sed simplex Rescriptum Imperatorum Diocletiani, et

Maximiani. (59. Hi sane conquerenti de venditione facta cum læsione ultra dimidium justii pretii, rescripserunt vel recipiendam ab ipso esse rem venditam, restituto pretio accepto, vel, justum pretium ei supplendum esse. (60. Sed ex Rescriptis efformata haud posse Regulam generalem vim habituram in aliis casibus tristissima res est, et post alios observavit Hilliger. in suo Donell. enucleat. lib. 1, cap. 5, in notat. lit. D.

(61. Idque eo vel maxime locum sibi vindicare debebat in specie de qua agitur, propterea quod Regula quæ ex dicta Leg. 2, Cod. de Rescindend. vendition. efformata est, adversatur juri naturæ, quod æqualitatem in contractibus onerosis demandat.

(62. Sed altas adeo radices in Foro præfato Regula egit, ut difficulter evelli possit. Optandum tamen esset, ut restringeretur intra terminos Emptionis, et Venditionis, de qua loquitur ipsa Lex 2, Cod. de Rescindend. vendition.; nec protraheretur ad alios contractus onerosos, obstante jure naturæ, quod, ut modo dictam est, et hic est repetendum, æqualitatem demandat.

(63. Altera in Foro invaluit Regula, quod Emptio, et Venditio cum enormissima læsione facta sit nulla. (64. Sed si dolus dans causam contractui bonæ fidei, non item in illum incidens reddit contractum nullum leg. 7, ff. de dol. l. 16, § 1, juncto 1, ff. de minor. leg. 5, § 2, de Auctorit. Tutor. l. 3, § ultim. ff. *Pro socio* leg. 1, § 7, ff. *Quarum rerum actio non datur*. Veet. in Commentar. ad Pandect. lib. 4, titul. 3, num. 3, Bocer. ad leg. 23, ff. de Regul. Jur. cap. 2, n. 15, non est quod ex læsione enormissima contractus Emptionis, et Venditionis nullus esse possit, et quidem etiamsi læsio hæc enormissima dolum re ipsa contineat, (65. idque quia dolus hic non dat causam contractui, sed incidit in ipsum contractum. « Incidere vero (recte inquit Voet. ubi supra) in contractum censetur, quum quis sponte quidem contrahit, sed in modo contrahendi, veluti in pretio, aut aliter decipitur. »

(66. Sed hoc parum est. Ex enormissima læsione in Foro nulli etiam declarantur Contractus stricti juris, ut transactio, (67. quando ad Legum præscriptum nec dolus dans causam contractui stricti juris, ipsum nullum reddit. leg. 36, ff. de verb. Obligation. l. penultim. Cod. de inutil. stipulatione.

#### ARTICULUS II.

##### Quoad ea quæ concernunt emptorem.

(1. Emens bona fide rem furtivam, seu alienam tenetur eam restituere Domino statim ac discit esse suam l. *Mater* 3, et l. *Adversus* 4, C. de rei vindicatione. Et ratio est, quia a fure, cujus non erat talis rei furtivæ dominium, non potuit transferri in emptorem; juxta regulam 79, Juris in 6, ibi: « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur. » Et sic communior Doctorum. (2. Nec talis emens bona fide rem furtivam restituendo eam Domino, potest ab ipso repetere expensum pro

ea, Textu expresso in leg. *Mater* 3, Cod. de rei vindicatione ibi: « Rem tuam a possessore etiam non oblato pretio vindicare poteris » peccaret enim graviter, si nollet eam rem restituere nisi a Domino refunderetur pretium pro tali re bona fide solutum; l. *In civilem* 2, Cod. de furtis, ibi: « In civilem rem (hoc est, ut explicat Glossa, juri, ac rationi contrariam) desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis quam pretium solutum fuerit a Domino. Curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis. » Et sic tenet communis Doctorum cum S. Raymundo, qui lib. 2, Summæ tit. 6, de furtis § 7, sic præcise habet: « Si quis emit rem furtivam ignoranter, et bona fide, et in foro publico, et publice, numquid potest saltem pretium, quod numeravit petere a Domino, cum deprehendit rem esse furtivam, vel numquid poterit retinere rem, donec pretium sic ei solutum: Respondeo, non. » (3. Immo non tantum rem ipsam furtivam, sed et omnes ejusdem rei fructus adhuc extantes, et quos collegit, et consumpsit a tempore cognite rei furtivæ, et eos ex quibus jam antea bona fide perceptis factus est ditior, tenetur emptor in utroque foro restituere Domino: Sic communiter Doctores, et habetur clare ex variis Legibus, et signanter ex l. *Certum est* 22, Cod. de rei vindicatione, ibi: « Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei vero extantes; » Leg. *Senatus consultum* 1, Cod. de petitione hæreditatis, ibi: « Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt nisi ex his locupletiores extiterint; » et concordat l. *Si rem* 22, ff. de petition. hæredit. l. *Utrum* 23, ff. eod. tit.

(4. Emens bona fide rem furtivam, si durante bona fide eam consumpsit, vel vendidit, vel donavit, non tenetur ad restitutionem. *Communis* cum D. Thoma 2. 2, quæst. 100, art. 6, S. Raymundus in Summa lib. 2, tit. 6, § 7, ibi sic habet: « Bonæ fidei emptor, si durante bona fide ipsius, perit, restituere non tenetur. Idem credo si alienavit durante similiter bona fide, » et habetur clare ex l. *Qui vas* 48, § final. ff. de furtis, ibi: « Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse, nemini dubium est; nummus ergo hic qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus. » Et Institut. lib. 4, tit. 17, de Officio Judicis, Sic expresse dicitur: « Si vero bonæ fidei possessor fuerit, non habetur

(1) Confer Cuniliati de 7. Decalogi Præcepto Cap. 5. § 4. n. 5. ubi mediam quandam viam a se excogitatam Sapientiorum judicio submittit. Fatetur tamen opinionis ab Auctore nostro Secundo Loco propositæ majorem apparentiam præferre: Cum semper verum sit, restituentem illam furi, non ponere eandem in statu deteriori, quam prius habuerit, sed in eodem omnino, et sicuti nemo tenetur, rebus suis, præcipue in notabili summa, rem alterius in meliori statu ponere, aut conservare, ita neque cum notabili suo damno e manu furis eruere. Num. autem 1. agens de illo, qui rem furtivam bona fide dono accepit, ac alteri dono dedit, docet eum do-

ratio neque consumptorum, neque non perceptorum. » (5. Si vero emens plus pretii recepisset in venditione quam in emptione, rei furtivæ, teneretur id plus, in quo factus esset ditior, restituere Domino comparanti; l. *Utrum* 23, ff. de petitione hæreditatis, et communis Doctorum. (6. Emens bona fide rem furtivam probabiliter non potest eam reddere furi, si prævideat non esse reddendam Domino, etiamsi aliter pretium suum recuperare non possit, sed debet eam restituere Domino. Sic Molina disp. 722, Layman lib. 3, tract. 4, cap. 17, § 3, n. 24. Covarruv. in Regul. *Peccatum*, part. 3, num. 3. Castropalao de justitia commutat. disputat. 1, punct. 9, n. 7. La Croix lib. 3, part. 2, num. 100. Cajetan. Medina, Sotus, Armilla, Ledesma, Major cum communiori, et probabiliori aliorum, teste Reiffenstuel lib. 3, decretal. tit. 16, a num. 105, ubi solide defendit hanc opinionem, sicuti facit Molina loc. cit. Covarruv. loc. cit. La Croix loc. cit. solvendo rationes adversariorum, aliique apud ipsos videndi loc. cit. (7. Revera tamen est etiam probabile, quod talis emptor possit rem furtivam reddere furi ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum; Ita Navarr. in Manuali c. 17, n. 9. Silvester verb. *Restitutio* 3, quæst. 7. Sayrus, Angelus, Alensis, Beja, Petr. Navarr. Vasquez, Turrian, Dicastill. aliisque plurimis citatis Lessius lib. 2, c. 14, dub. 3. Lugo tom. 1, de justit. disp. 17, sect. 2. Diana part. 1, de contractibus resol. 69. Haunold. t. 3, num. 260. Illung, tom. 4, dict. 3, num. 40. Sporer tom. 2, tract. 4 a n. 121, ubi solide defendit hanc opinionem solvendo rationes adversariorum; Vide ibi (1).

(8. Emens rem pecunia furtiva, licet acquirit ejus rei dominium, per textum in leg. 1 et penult. Cod. *Si quis alteri*, et leg. *Si ex ea pecunia* 6, Cod. de rei vindicat. tamen non obstante rei emptæ Domino obligatur ad resarciendum omne damnum, ac luerum cessans tum illi, a quo pecuniam abstulit, tum etiam Venditori, casu quo ab ipso pecunia evincatur; D. Thomas 2. 2, quæst. 78, art. 3. Molina disp. 127, conclus. 2. Covarruv. variar. resolut. lib. 3, cap. 3, num. 6. Layman lib. 3, tract. 4, cap. 17, § 3, num. 22, et alii passim. (9. Venditor autem non acquirit dominium talis pecuniæ furtivæ, sed eam debet comparanti Domino restituere, si eam jam consumpsit, vel cum propriis nummis ita commiscuit, ut amplius discerni nequeat (2); textu expresso in leg. *Si alieni* 78, ff. de solutionibus, ibi: « Si alieni nummi

mino comparanti nil dare teneri, quippe qui in nullo factus sit ditior, teneri tamen indicare domino donatarium, ut ab eodem illam sibi vindicet. *Edit. Barbiell.*

(2) Sive pecunia illa consumpta fuerit, sive propriis nummis commixta, sive extet, sive non extet ad obligationem tenetur; Dominus enim, a quo pecunia illa fuit ablata, dominium rei suæ nequaquam perdidit, eo quod ipsi ablata fuerit; unde semper illi est restituenda, si extet, tametsi commixta, vel id in quo ex ea factus est ditior, si non extet apud se: Ratio enim exigit, ut si injuste alteri damnum intulit, æquale ipse subeat damnum,

inscio, vel invito Domino soluti fuerint, manent, ejus, cujus fuerint; Si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri qui accepit. » Sic Glossa ibid. et cum multis Layman loc. cit. n. 23. (10. Emens rem alienam modico pretio ut eam restituat proprio Domino, qui eandem rem non erat alias reacquisiturus nisi majoribus expensis, potest ab ipso Domino repetere pretium solutum, et ipse Dominus tenetur in utroque foro ipsum refundere, quia talis emptor utiliter gessit negotium Domini, ob quod Dominus recompensare tenetur quidquid utiliter in rem ejus alter impenderit; lib. 2, ff. de negotiis gestis. *Et sic communis Doctorum*; arg. cap. *Rapina* 5, caus. 13, quæst. 6, ibi: « Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui ablata est reddatur. »

(11. Emens communi pretio agrum, in quo scit esse thesaurum, vel similia alia pretiosa, licite emit, et nihil tenetur restituere venditori ignoranti, quia thesaurus ille omnino ignotus, et soli emptori cognitus, revera in communi æstimatione non auget pretium agri, adeoque pretium commune, et vulgare est justum, et licitum; et hoc ipsum innuit Christus recte factum esse Matthæi 13, ibi: « Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum » et colligitur ex l. *A Tutore*, ff. de rei vindic. sic tenet. D. Thomas 2, 2, quæst. 66, artic. 5. Sotus lib. 6, de justit. quæst. 3, art. 3. Navarr. in Manual. cap. 17, n. 175. Molina disp. 56. Lessius lib. 2, cap. 5, dub. 13, num. 62. Layman loc. cit. c. 5, num. 23. Lugo disp. 6, num. 128. Burgh. cent. 3, cas. 72. Sporer tom. 2, tract. 6, cap. 1, n. 175, et c. 5, num. 70. Bonacina de restitut. d. 1, quæst. 3, punct. 6, n. 7. La Croix lib. 3, part. 2, num. 942. Card. de Luca de emptione disc. 44, per totum, ubi affert decisionem Rotæ; Reiffenstuel loc. cit. num. 194. (12. et alii passim contra Vasquez, Turr. et alios paucos cum Diana part. 1, tract. 5. resolut. 17. Sic emens communi pretio rem mobilem v. gr. piscem in quo reperitur gemma, vel capsam ferro, vel plumbo plenam, in qua reperitur aurum, vel aliud quidpiam pretiosum penitus ignotum etiam venditori, non tenetur ad ullam restitutionem venditori, quia invenit in re sua; venditor enim non fuit Dominus illius auri, seu alterius rei pretiosæ, cum ignoravit omnino ibi talia esse, adeoque nullum habet jus ad aliquid repetendum ab emptore, qui tale aurum, seu gemmam, aliamque rem pretiosam acquirit sibi titulo inventionis in re sua, et non titulo puræ emptionis. Ita Sporer loc. cit. num. 179. aliique citati. (13. Emens rem sua et communi æsti-

etiamsi nullum, ex re aliena habuerit emolumentum; ut colligitur ex D. Thom. 2, 2, qu. 62, art. 6, et videatur etiam Antoine Tom. 1, de Just. et Jur. cap. 3, qu. 48, insuper videatur dict. Antoine cap. 5, qu. 7. *(Nota Rom. Theologi.)*

(1) Non bene juris principiis accomodata videtur auctoris hæc opinio. Qui emit piscem; ferrum, non

malione vilem, si post emptionem cognoscatur esse pretiosam, non tenetur aliquid restituere venditori; quia res tanti valet quanti æstimatur communiter, adeoque si rem emit pretio communiter justo æstimato, juste, et licite tali pretio emit. Hinc si quis emit aliquid vas, vel quid simile communiter putatum esse ex vili metallo, et postea reperiat esse ex auro, vel argento, nihil tenetur restituere venditori, quia revera tanti emit, quanti tunc valebat secundum communem æstimationem, a qua desumitur justum pretium naturale, et vulgare rerum. (14. *Communis*. (1) Secus autem esset, si emptor ante emptionem cognovisset pretiositatem rei penitus incognitam venditori simplici, et ignaro: tunc enim teneretur emptor manifestare ignaro venditori pretiositatem rei. Hinc si venditor ignarus vendat gemmam pretiosam putans esse falsam, vas argenteum putans esse stanneum, et hujusmodi, emptor conscius majoris perfectionis, et pretii rerum, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem, si minoris emit. Venditor enim quanvis actu ignoret valorem rei, tamen nisi aliter exprimat, semper censetur intendere, et velle vendere rem secundum suam pretiositatem, vel valorem justum ei correspondentem. (15. Nec talis emptor conscius majoris valoris rei, qui a venditore ignoratur, manet tutus in conscientia per hoc, quod dicat venditori se velle rem illam sine scrupulo emere, et ideo videat, an velit eam pro tali pretio dare, condonando ei, si quid amplius valeat, et venditor consentiat. Et ratio est, quia venditor in eo casu non condonat libere, et spontanee, sed ex pacto, quia emptor alias non vult emere, unde non est condonatio gratuita, sed cessio onerosa, ut emptor rem emit; sicuti mutuarius promittit usuras, ut obtineat mutuum aliter sibi non danum. Tum quia hoc modo excusari posset omnis emptio infra justum pretium infimum, interrogando venditorem, an contentus esset tali pretio, condonando, si amplius res valeret. Immo eodem modo excusari posset usurarius interrogando mutuarium, an vellet gratis promittere, vel condonare usuras, quæ ob mutuum non debentur, ut recte observat Lugo disp. 26, sect. 8, num. 137, et tenet Molina disp. 313, § *Cajetanus*, Palatius, Bannes, Salonius, Ledesma et alii, quos affert, et sequitur Salas dub. 36, n. 3. Sporer tom. 2, tract. 6, cap. 5, num. 69. contra Cajetanum verb. *Emptio* num. 2. Armillam, et alios apud Salas dict. dub. 36, n. 2.

(16. Qui scientia privata scit brevi pretium augendum, potest licite emere pretio currenti, D. Thomas 2, 2, qu. 77, artic. 8, ad 4. Covarruv. in Regul. *Peccatum* part.

habet animum emendi aurum, margaritas, sed piscem, nec venditor modico pretio ita aurum vendisset. Cum igitur de re viliori evidenter actum sit, ad pretiosorem non recte trahi potest. Cujac, ad tit. Cod. de sentent. quæ pro eo quod interest. profer. in fin. Zoes. in Pandect. lib. 28, tit. 1, n. 26. *(Edit. Barbiell.)*